Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36883
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Deiphebus, uir strenuus, et multa consiliorum discretione conspicuus. Quartus uocabatur Elenus Vir multe scientie. Nam erat omnium doctrinis scientiarum liberalium eruditus. Quintus et ultimus uocabatur Troylus iuuenis quidem pulcerrimus et uirtuosus in bello, de cuius strenuitate multa fuit gesta, que deinceps presens ystoria non omittit. Filiarum autem prima uocabatur Creusa. hanc asserunt Enee fuisse coniugem, quem Eneam ex venere accepit Anchises, de quo multum narrabit presens ystoria. Et de quo Virgilius, post magne Troie casum, in suo opere Eneydos multa descripsit. Secunda uero uocabatur Cassandra, que licet virginea honestate polleret, in liberalibus artibus plus pollebat huius noticia presentium et scientia futurorum. Tertia uero et ultima uocabatur pollisena puella mire pulcritudinis et speciositatis immense. Preter hos idem rex priamus, Triginta filios naturales habebat, ex diuersis mulieribus sibi quesitos, equestri dignitate conspicuos et fortissimos bellatores. Qui fuerunt hii .s. Odinalis. Antonius. Esdron. Delirus. Silenus. Quintilenus. Modmus. Cassabilas. Dinadim. Dorastarus. Pitagoras. Cinabor. Eliastras. Menelaus. Issidorus. Cairus. Celidomas. Emargas. Mediam. Sardus. Margaton. Achiles. Fauces. Brunus. Mathan. Amadiam. Dulces. Duglas. Cedor de insula. Amphimacus.

De reditu regis priami et hedificatione troie et ipsius magnitudinis.

Vacante rege priamo cum consorte sua et eius filiis circa bella, et castri obsidione ipsius, ad eum illa horribilis fama peruenit, quod eius pater laumedon, a grecis extiterat interfectus, intercepta Troia et funditus diruta. Occisis nobilibus. et eius sorore Esiona in exilio et seruitute deducta. Obstupuit priamus in talium relatione rumorum, et dolore primo factus est anxius, et in continuis lacrimis flebilem uitam trahens querulis uocibus, anxiosa lamenta prodit et cumulat mestuosus. Et illico omnem dissoluit exercitum, bello finem imposuit, obsessi castri castra deseruit, et gressus festinos accelerat uersus troiam. Quam ut uidit funditus sic euersam, et a grecis taliter desolatam, sua et suorum irrecupabilia dampna conspiciens, multas profudit lacrimas, continuando per triduum suos luctus. Set demum lacrimarum nubibus fluuialibus exolatis amaro corde satisfationis quasi recepta quiete, post depositos gemitus et lamenta longo examinato consilio, placuit Troiam euersam iterum instaurare. Quam et in ea magnitudine fabricare et fortitudine decreuit, quod nullos hostiles timere posset insultus. Et in suorum offensione hostium posset erigi tediosa. hinc est quod quesitis undique fabris et peritis in edificandis artificibus et marmoreis cellaturis, lapidariis et doctissimis architectis, omnis generis marmora natiuis diuersimode insignita coloribus, mirabiliter coegit instruere. Et sic amotis ruderibus, et ruinosis locis purgatis, In quibus constiterat prima troia, mirabilis latitudinis et longitudinis, sub dei neptuni nomine, Ciuitatem erexit. Quam eodem nomine Troiam uidelicet Censuit appellari. Fuit autem huius secunde Troie ambitus longitudinis dierum trium. et latitudinis coequalis. Nec ante fundationem eius aut postea, unquam legitur edita ciuitas, tante magnitudinis, tante pulcritudinis, aut similis speciei. Fuerunt enim fundamenta eius in terre gremio constituta multum profunda facta scissura, et latitudine spatiosa, a terre summitate superficie usque ad summum eius, superedifficata fuit menia in mirabili compositione murorum circumquaque, Cubitorum altitudine ducentorum. Quorum supperficies erat marmorum incrustata lapidibus in uariorum diuersitate colorum, ut intuentium aspectibus blandiretur. In murorum itaque ipsorum circumgiratione corone, non multum una turris distabat ab alia, que supra muros eosdem excrescenti altitudine iminebat. Introitus autem et exitus ciuitatis ipsius fuit In sex Januis constitutus. Quarum una Dardanis. secunda Cubera, tertia Elias. Quarta Chetas. quinta Troiana. et sexta Antenoridis uocabatur. Quelibet portarum ipsarum, fuerat bellicosis formata turribus per latera et in celaturis marmorearum ymaginum circumquaque decora. Quarum quelibet, amicis intrare uolentibus, placidos permittebat ingressus, et superbe resistentie, quibuslibet inimicis, duros et fortes minabatur accessus. Erant eciam ipsi muri exteriori parte per ambitus eorum quasi obscuris hyatibus profundo uallo firmati. Cuius ualli distancia Inter se et muros eosdem longa planities extendebat. Intra uero ciuitatem eandem, Instructa fuerunt infinita palacia, et in ea infinite domus ciuium formosis hedificiis fabricate, Que ciuitatem eandem ornabant. In multarum latitudine platearum. Pro certo enim asserit, nullam domum nullum hospitium fuisse in ciuitate troiana constructum. Quod. scilicet illud quod minoris depressionis extiterat super terram, saltem in sessaginta cubitorum altitudine non fuisset, totum enim marmoreis firmatum lapidibus, mirifficas ferarum ymaginum cellaturis. Erant enim et eius platee, longo et recto distense dyametro, In quarum medio discopertus aer vegetabilis aurore dulces et uarios reffundebat afflatus. In ipsarum uero lateribus platearum, in innumerabilibus supra columpnis marmoreis arcubus circumuolutis, sub ipsorum edifficiis eleuatis. liber et cotidianus